DE CYSTIS ECHINOCOCCOS CONTINENTIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHICA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA,
CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE MENSIS FEBRUARII ANNI MDCCCLIII
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
ALEXANDER SZYMAN,
CULMENSIS.

OPPONENTIBUS
ANT. BERG, STUD. MED.
SILV. BUSKI, STUD. MED.
LEO JUNK, MED. DR.

CULMAE,
TYPIS J. GÓŁKOWSKI.
MDCCCLIII.

SOCIETATI,

CUIUS EST IUVENTUTEM LITERARUM STUDIOSAM

IN

BORUSSIA OCCIDENTALI

OPIBUS ADIUVARE,

ET

FAUTORIBUS

SUIS HUMANISSIMIS

saepe accidit, ut hydatidum sacci in ossifiicationem omnino transeant. Budd, (Die Krankheiten der Leber; Deutsch bearbeitet von Dr. Henoch Berlin 1846.) tres magnos hydatidum saccos hepati adhaerentes hoc modo omnino mutatas sese vidisse, narrat. Hac vero calcariae deponendi ratione hydatidum saccus externus ab omnibus aliis differt tumoribus. Saccus externus tenuem membranosam vesicam intus concludit fluidoque est vel seroso vel seroso-albuminoso, synoviae simili, pellucido, sine colore, aut subflavo impletus. Haec vesica, sacco externo circumdata, in quo tam libere includitur, ut facile ex eo extrahi possit, matrix sive vesica primaria iterum aut unam tantum vesicam occultam fluido pellucido repletam nec raro complures et minores, partim liberas, partim ad parietes affixas continentem vesicas; aut permultas vesicas globosas libereque vagantes, quae magnitudini pisi, immo columbae ovo adaequantur. Vesicae alterae primariae conclusae secundariae nominatae hoc modo saepe tertiarias asservant. Quae vesicae omnes eadem sunt natura. Consistentiam praebent albuminis coagulati vel gelatinae, qua de causa facile rumpuntur. Porro in plurimas laminas, quibus contextae sunt, diffindi possunt. Internae laminae externis molliores apparentes post mortem dissolvuntur in flocculos, qui circumvagantes fluidum turbidum efficiunt. Adhuc hisce in membranis nec vasa nec structura ulla analomica reperta sunt. Nec quidem membranas punctis subtilissimis distinctas microsco-

pio examinantem quaedam fibrarum strata orbicularia fugiunt, sed quibusnam telis formentur, cuiusnam physiologici sint momenti, nondum ad liquidum non perductum est, sed posthac assiduo studio observationibusque inquirendum. Praeterea membranis ipsis tanta inest vis elastica, ut vesica acu perforata sese contrahat fluidumque conclusum vi quadam emittat, aut incisione facta eius parietes extrinsecus evolvantur. Paries vesicarum internus epithelio tenui et subalbicantibus, granulosis massis raris, calcaria corpora continentibus, exornatus est. Crassitudo eius pro vesicae aetate tum maior tum minor est neque unquam $\frac{1}{4}$ '' excedit. Matrix permultis vesicis tam referta esse potest, ut aut valde extenuetur, aut (extentione) rupta omnino solvatur. Forma vesicarum rotunda est, nisi forte matrix maiore copia repleta invenitur. Quid fuerit, cur vesicae descriptae acephalocystidum quoque nomine comprehenderentur, infra dicemus. Si acephalocystidem, priusquam putrescit, incidimus, saepe in parietibus internis subalba corpora, quae oculo nudo vix conspiciuntur, quaeque arenae granorum aspectum praebent, videmus. Quae corpora saepe acephalocystidi non adhaerent, fluidoque ab ea clauso solvi atque effundi possunt. Microscopii ope animalculum, quod, quia echinis armatum est, echinococci nomine donavit Rudolphi, conspicitur. Forma echinococci omnibus suis partibus diversis retractis est aut obovalis aut rotunda, contra partibus omnibus extensis est oblonga et paene duplo lon-

gior quam latior. Tres echinococci discernimus partes. Prima pars duabus alteris exilior breviorque est, caput sphaericum vel transverse ellipsoideum, uncinulorum coni similium corona circumdatum. — Duae in illis sunt distinguendae partes; altera capiti annexa recta, altera cono similis, acuta paullulumque curvata. Ubi utraque pars cohaeret, intumescentiam quamdam spinosam, in qua quasi in artu sese uncinulum movere dicunt, oculis determinare possumus. Duos et triginta uncinulos, quorum totidem longiores, quot breviores essent, sese enumerasse, Wilson perhibet. Secunda echinococci pars medium tenens est paene triplo longior, quam caput, quae animalculo toto in partes quinque diviso duas occupat. Qua in parte cognoscendae sunt quatuor eminentiae s. acetabula s. suctoria, quae optime animalculo retracto discernere possumus. Echinococco autem extenso duo in conspectum veniunt. Ultima pars paulo longior quam praecedentes praebet tenuem impressionem. Animalculum totum $\frac{1}{8}$—$\frac{1}{20}$ ''' longum, $\frac{1}{10}$—$\frac{1}{30}$ ''' latum est. Substantia echinococci microscopio examinata pellucida invenitur, et granulis exceptis tenuia strata longitudinalia, praecipue versus margines saepius aspectum reticularem praebentia ostendit. Praeterea duo in toto echinococci intimo corpore globulorum genera observantur; alteris rotundis aut obovatis substantia opalescens et distincte circumscriptae formae sunt. Qui globuli videntur ex albumine aut pinguedine constare. Hi exigui globuli pellucidi, vesicu-

lis minimis similes, a physiologis pluribus, ut Livois (Recherches sur les échinocoques chez l' homme et chez les animaux. Paris 1343), ovula habentur; sed haec sententia caret omni verisimilitudine. Lebert (Phisiologie pathol. Tom II. Paris 1845) iure maximo de hac re dicit: „Nous ne pouvons nullement partager l' opinion de quelques naturalistes qui veulent les regarder comme ovules. Ces derniers montrent toujours même chez les animaux d'une organisation tout à fait inférieure, une structure beaucoup plus compliquée et surtout une vesicule germinative entourée d'une éspèce de vitellus et renfermant la tache de Wagner."— Alteri autem globuli pallidi nec non pellucidi, vesiculis quoque minimis similes, veluti grana quaedam continere videntur. Haec corpora sine ulla dubitatione e calcaria constant, quae additis accidis effervescendo solvuntur, neque ullo modo ovula haberi possunt. Unusquisque echinococcus segregatus, qualem descripsi, aspectum microscopio exploranti offere debet. Iam dudum Goeze (Versuch einer Naturgeschichte der Eingeweidewürmer thierischer Körper 1782) echinococcos non semper segregatos, sed etiam congregatos exilique membrana involutos vidisse contendit. Laenec primus echinococcos aut nonnunquam septem octove congregatim et inter sese et ad vesicae, fluido limpido impletae, parietem internum funiculo communi a partis posterioris impressione exeunte affixos aut segregatos vagari observavit. Cui autoritati, uno do-

ctore Livois excepto, qui illam munitionem mirum in modum neque vidit eamque in dubium vocare conatur, omnes omnium autorum observationes consentiunt.

Descriptione animalculi nostri praemissa, paucis verbis, quasnam functiones exsequatur physiologicas, expediam, necesse videtur. — Multas procedente tempore de echinococcorum functionibus coniecturas coacervarunt, sed fere omnes e cogitationis nexu, non ex observationibus certis ortae atque in maius auctae vel maxime discrepuerunt. Observationibus vero recentioribus ac severioribus confidentes, tres echinococco inesse functiones physiologicas, statuere possumus. Quae sunt: motus, nutritio, propagatio. Motui inserviunt uncinuli et strata longitudinatia, sese a capitis basi usque ad postremam animalculi partem porrigentia, in quibus insita est functio muscularis. Genera motus sunt tria. Motus duplex invenitur in uncinulis, quos animalculum deprimere et erigere potest. Strata autem efficiunt genera motus duo. Alterum est retractio et proiectio capitis, quae invaginatione quadam fiunt et varias animalculi formas efficiunt. Capite retracto forma animalculi est rotunda; proiecto autem oblonga, uncinulos et partes capitis reliquas distinctius determinans. Alterum motus genus toto in corpore observatur. Fibris stratorum enim contractione et relaxatione quadam in vicem mutatis animalculi corpus motum praebet vel vermicularem vel undulatorium vel peristalticum, qui etiam in animalculis af-

fixis, ut polypis, simili modo effectus observatur. — Praeter enumeratos motus unus Lebert semel sese motum ciliarem observasse contendit et verbis his descripsit: „Dans l'interieur de ces animaux vivants, j' ai observé un mouvement vibratil des mieux caractérises. I' ai pu le voir dans tout l' intérieur de l' animal, et même pendant plusieurs heures de suite. Ce n' étaient nullement des cils de la surface externe, analoges à ceux des infusoires qui étaient le siége de ce mouvement; mais quoique au commencement j' eusse assez de peine à distinguer les cils vibratils de l' interieur, je pus cependant les voir plus tard et me convaincre qu' ils étaient contenns dans l' intérieur de l' animal, lorsque le liquide qui entourait les animaux commençait à s' évaporer. Il fallait aussi, pour bien les voir, diminuer l' intensité de la lumière et se servir d'un diaphragme fin. Ces cils étaient légèrement recourbés, minces, n' ayant guère au delà de 0mm, 0012 de largeur. Ils étaient surtout plus visibles vers le bord. Ie n 'ai vu qu' une fois ce mouvement vibratil dans les échinocoques mais d'une manière trop' distincte pour conserver le moindre doute sur son existence. I' ai de plus observé ce même mouvement vibratil dans l' intérieur d' un ver d'eau douce qui, à l' état de retraction, présentait assez de ressemblace avec les echinecoques."

Minime negari potest, echinococcos vivos, praecipue in telis spissis itinera facientes, de quibus infra paulo planius explicaturus sum, motuum illorum

facultate uti. Sed primum loco stabili inhaerere coacti exsudato circumdati, intumescentes sensim sensimque motuum facultatem amittunt. Qua de causa in animalculo integro quidem, sed cystis fluido impletis desumpto, paene semper coronam uncinatam intus retractam videmus. Unde elucet, cur Dr. Budd (Die Krankheiten der Leber; Deutsch bearbeitet von Dr. Henoch. Berlin 1846) huius rei convincendae causa multos echinococcos microscopio iterum iterumque explorans uncinatamque coronam semper retractam inveniens illam functionem in dubium vocare videatur. Caput retractum levi pressu adhibito, quo iam Goeze usus est, protenditur. Echinococcis mortuis relaxantur stracta, et corona uncinulata fere semper protenditur, ita ut uncinuli ante anteriorem corporis partem distincte conspiciantur.— De quatuor acetabulorum functione autores alii alias opiniones excogitarunt. Alii ea organa respiratoria, ut Steinbuch (cogita quaedam de verm. visc. Erlangen), alii ea sexualia habent, alii denique ea organa suctoria putant, quibus fluidum recipiatur et vita sustineatur. Tantum abest, ut eminentias quatuor esse organa suctoria negem, ut haec haud evoluta functionem sugendi exhibere non posse censeam. Propius ad veritatem accedere videtur, echinococcos toto corpore per endosmosin secundum leges physice constitutas, quod succi ad se nutriendos necesse sit, resorbere. Quae sententia hunc in modum comprobatur, quod in plurimis infimi ordinis animalibus totnm corpus

negotio nutriendi fungitur; quod porro experimentis est demonstratum, complures helminthes e spissis tubi intestinalis contentis depromptas atque in aquam immissas mox increscere. — Mirandum denique est, quod Budd (op. cit.) permultas hominis et ovis hydatides, ut comperiret, utrum acetabula adessent, an non, inquisivit, nec tamen unquam illa invenit.

Functio tertia est propagatio. Iam diu quidem, echinococcorum magnum numerum interdum in vesicis supra descriptis infuisse, viri docti scierunt, sed huiusmodi casus exceptiones tantum et echinococci vesicarum hydatidumve parasitae putabantur. Alia quoque erat controversia. Laenec (Mémoires sur les vers vésiculaires et principalement sur ceux, qui se trouvent dans le corps humain. Lû à la séance du 26 plureose an XII. 1804.) enim, qui alias hydatides nulla animalcula occultantes, alias multis repletas invenerat, duo diversa hydatidum genera adesse putabat, primumque genus ab altero stricte distinguens acephalocystides nominavit. Cui Owen, Lallemand, Vogel, alii consentiunt. — Sed echinococcos ne forte quidem in acephalocystidibus vivere, multo magis connexum inter eos coniunctiorem intercedere, iure statui potest. Nam observationes a Nitzsch et de Siebold institutae omnem fere dubitationem, echinococcos atque acephalocystides inter se diversos esse, verum eiusdem generis proles in diversis evolutionis stadiis versari, nobis sustulerunt. Secundum de Siebold enim

(Wagners Handwörterbuch der Physiolog. II.—Chemnitz de hydat. Echin. hom. fig. 7. 8. 9. Halle 1834.) initio in parietibus internis vesicarum pustulae elatione epithelii exsistunt; quae pustulae germinantibus intra ipsas corporibus subrotundis ac piriformibus, sensim sensimque vesicae formam assequuntur. Quae corpora, quum alio in aliis vesicis germinant numero, stylo in dies longiore utuntur atque ita soboles echinococcorum conformantur. Vesiculae, in quibus soboles maturescit, saepe a parietibus internis vesicae, matricis, solvuntur atque in fundum fluidi ab hac inclusi cadunt. Hae sobole echinococcorum impletae vesiculae magnitudine capitulum acus adaequare solent. Si echinococci maturescunt, vesiculae dirumpuntur, corrugantur atque animalcula matura effundunt, sed ita ut tam parvuli echinococci stylis suis corrugatae vesicae, velut contro affixi, haereant. Postea parvi echinococci stylis suis, qui vesicarum processus sunt diruptarum ac corrugatarum, omnino solvuntur. — Abrupti a vesica parvi echinococci microscopio animadverti quidem possunt, sed dimidio minores apparent neque tam bene formati. Qui formis tam distincte circumscriptis non utuntur et tantum granorum massam confusam, nec globulos distincte circumscriptos, qui inveniuntur in maioribus, continere videntur. Neque haec corpora sine colore sunt, nec pellucida, sed subflava ac turbulenta. Uncinulorum corona conspici quidem potest, sed non clare; forsitan recte cum Dr. Budd echinococcos hos non

satis magnum maturitatis gradum assecutos putemus.

Aetate iam provecta echinococci capite uncinulis delapsis sensim evanescente formam mutant in vesicasque increscentes modo, quem descripsimus, novos echinococcos procreare possunt.

Ill. Laennec, qui duo hydatidum genera distinguit, nulla ratione omnino refutare possumus. Sed verisimilius est, alterum genus ab altero minime differre. Ut in acephalocystidibus neque echinococci, neque residua eorum inveniantur, tamen acephalocystides echinococcorum vesicis simillimas germinatione ignota quadam sorte exhaustas uncinulis quoque corneis sese solventibus sterilescere, cogitare licet. Dr. Livois in hydatidibus octingentis, quas accurate diligenterque perscrutatus est, echinococcos habitare observavit. Dr. Budd (op. cit.) illius nec non suis observationibus nisus, acephalocystides echinococcos non occultantes, quas Laennec descripsisset, pernegandas esse conclusit. Me vero iudice ex iis, quae illi observaverunt, concludi tantummodo potest hydatides sine echinoccis rarissime reperiri.

Autores veteres non dubitabant, quin cystica, quibus echinococcus esset adnumerandus, generatione aequivoca oriri contenderent. Itaque ex materia ad ea gignenda apta prodire cystica, docebant. Neque materiem vi propria vitali animatam esse negabant, quam quum vasis lymphaticis aliqua ratione extentis, tum vasis sanguiferis idoneo quodam mo-

do mutatis, nec non bursis mucosis nimis expansis, porro telis mucosis, si inter eius laminas serum exudaret, denique glandulis apte degeneratis inhabitare ex iisque cystica originem ducere arbitrabantur. Ne plura dicam, omnes persuasum habebant, omnes telas ad cystica procreanda aptam materiam praebere posse, propriis qualitatibus pathologicis praeditas.

Quod in hidatidibus conspiciendis comprahendi non poterat, coniectura hac, in intellectum etiam non cadente, explanatum scire voluerunt. Quum vero neque intelligeretur, quo modo generatio illa originaria fieret, neque insignes cognitiones in observandis helminthibus atque infusoriis non demonstrassent, veteres opiniones magis magisque verisimilitudine esse orbatas privatasque, posuere, omnia cystica extrinsecus originem trahere, unde in corpus humanum transirent. Iuxta Goeze iam cognationem quandam cysticorum cum cestodibus esse suspicatum, tum Gmelin, Block, Zeder (Tschudi's Abhandlung über Blasenwürmer. Freiburg 1837.) Joh. Mueller (Rokitański's path. Anat. T. I.) alios physiologos admirabili similitudine, quam in formatione capitis cysticorum ac cestodum invenissent, ductos, eos in unum taeniarum genus quidem retulisse, duabus tamen speciebus distinctis: taeniis visceralibus sive hydatigenis, ac taeniis intestinalibus, dicere liceat.

Tandem Dujardin (Histoire naturelle des helminthes, Paris.) praecipue autem de Siebold ob-

servationibus illorum et Steenstrupii, qui primus generationis vicissitudinem revelavit, aliorumque, nec non hac, quod omnia entozoa, omnino iam evoluta, sexualibus organis essent instructa longius progredi ausi sunt statueruntque, cystica, in quibus partes commemoratae frustra quaesitae essent, nihil aliud, ac inchoata imperfectaque animalia esse, cestodum larvas embryonesve, qui migrantes eo modo, quem multi comprobaverunt, locum evolutioni suae opportunum non invenerunt et tanquam evolutionem „Ammen dietas" inierunt, quia naturae legibus constitutum est, ut non modo non devii pereant, verum etiam serventur et formationem, quae iis secunda rerum sorte praebetur facultas ad summum evolutionis fastigium perveniendi, induant. — Quamquam multum adhuc abest, ut quae Siebold de echinococcis proposuerit, adeo valere censeantur, ut veluti ipsa natnrae vis lexque habeantur, experimentis tamen, in quibus describendis Dr. Lewald in dissertatione „de cysticerco in taeniam metamorphosi" inaugurali, hoc anno Berolini edita defensaque, operam navaverat, adeo firmata esse existimo, ut a me impetrare non possim, quin ea vera certaque declarem.

Fluidum hydatidum, de quo iam supra saepius diximus, echinococcis eorumque vesicis iam non dissolutis, sine ullo colore pellucidumque, aut subflavum esse solet. Vesicis vero nonnullis eorumque contentis dissolutis turbidum sordidumqe fit. Pondus eius specificum secundum Budd 1,0008–1,013 invenitur. Quod

ad naturam eius chemicam attinet, affini copia influent alcalium instar aut omnino non commutatur; sapi autem salem. Hoc fluidum multum chlori natrii, aliquantulum materiae promiscue dilutae, quae germanice „Extractivstoff" appellatur, aut, si haec deest aliquantulum materiae animalibus propriae, adipis paucas elei guttas, cristallos cholestearinos continet nec non, secundum Budd, paullulum celerorum salium, qui certo omnes sanguini proprii sunt. Albumine tamen omnino caret, aut saltem tam exiguis eius particulis constat, ut nequaquam adesse videatur.

SPECIALIA QUAEDAM DE SEDE, AETIOLOGIA, SYMPTOMATIBUS ET THERAPIA CYSTARUM ECHINOCOCCOS CONTINENTIUM.

Sedes hydatidum.

Hydatidibus omnia fere organismi humani organa separatim laborasse, sectionibus comprobatum est. Attamen semper fere hydatides simul in hepate et aliis inveniuntur visceribus. Quia hae hydatides hepati adhaerentes plerumque magnitudine, crassitudine, firmitate, depositionibus supra iam commemoratis ne multa dicam, aspectu vetustiore excellere solent, coniecturam, hydatides aliis organis adhaerentes originem trahere ab iis hepatis secundario modo, deduxerunt. Ad quam opinionem probandam usi sunt his argumentis. Quemadmodum hydatides

hepaticae praesertim ulceratione cum finitimis organis, aut cum vesica fellea, aut cum ductu quodam bilifero, aut cum intestino communicare possint, eodem modo processu illo vasa sanguifera aperiuntur, echinococci recipiuntur, ad remotas partes deportantur. Ita aut e cysta hepatica primaria echinococci per venam hepaticam et cor deportati in pulmones pervenire; aut venae portarum ramis apertis in lienem, in omentum, in plicas peritonaeales, aliaque viscera deferri ibique excrescentes degenerationes efficere queant. Etiam echinococcos in vasis pulmonum sanguiferis ac corde saepius migrantes repererunt (Andral, Rokitansky); id quod forsitan ad opinionem illam probabiliorem reddendam pertineat. — Hydatides venis ulceratione apertis hepaticis cum earum contractilitate venarum, ac sanguinis impulsu in pulmones transduci, verisimilius videtur. Utrum hydatides in portarum venae ramos penetrantes adverso sanguine fluente ad abdominis organa deportentur, iure quaeritur. Praeterea hydatides secundarias ulceratione interposita plerumque non oriri opinatus sum, quoniam ulceratio per phlebitidem periculosissimam aliumve exitum prius aegroti vitam deterat, quam in loco denuo occupato hydatides excrescant. Quibus argumentis et aliis nisus, nescio, cur causa originaria communis primum hydatides hepaticas, tum vero alias gignere non debeat. Quid sit, quod hepar prius hydatidibus corripiatur, e ratione quadam alia mihi nasci videtur. Sed haec hactenus.

Hydatides praecipue inventae sunt in visceribus abdominalibus, prae ceteris in hepatis lobulo dextro. In splene rarius, fere nunquam sine combinatione cum hydatidibus hepaticis, testibus Cruveilhier et Andral, reperiuntur. Item hydatides in splenis parenchymate rarissime, sed paene semper in parte posteriore et probabiliter in ligamento gastro-lienali sedem collocare, Cruveilhier docet.

Hydatides splenicae parvae remanent. Nonnunquam hydatidibus hepaticis unam aut plures adiunctas in plicis mesentericis, saepe permultas in peritonaealibus invenies. Saepenumero quoque hydatides telae cellulosae subperitonaealis ubique repertae sunt, quae interdum ad incredibilem increscunt magnitudinem. Cuius generis cysta triginta duarum librarum reperta esse narratur in Hufelandii commentariis annis 1822 p. 22. In utero, ovario, ligamento lato rarissime eos viderunt. In renibus raro nidificant hydatides. Qui videntur sedem in circumdante vasa sanquifera renalia tela cellulosa, minus in substantia tubulosa et corticali collocaret. Rarius et in superioribus pulmonum partibus, sicut in inferioribus hydatides, sed fere semper secundariae sic dictae animadvertuntur. Rokitansky eas in tela cellulosa interstitiaria crescentes eam comprimere atque in obsolescentiam pervertere opinatus est. Hydatides pulmonum exilibus excellunt membranis. Ceterum amplitudo earum varia, quia pulmones nequaquam resistunt, usque ad eminentem gradum progreditur. Exempla Dr. Hawkins (Med. Chir

Transact. Vol. XVIII), Cruveilhier (Dict. de Med. et Chir. prat.), Alex. Simon (Schmidt's Jahrbücher etc.), Rose (London med. Gazette 1844. Oct.), Andral (Clin. med. II. p. 412), Budd (Die Krankheiten der Leber, deutsch von Henoch 1846), alii memoriae tradidere. Hydatides inter pleuram et costas insidere, dicit Constatt. Cruveilhier in tonsilla, Bock in glandula thyreoidea, Andreal in venis palmonalibus, Rokítansky in corde aliquoties hydatides (Handbuch der path. Anatom B. II) conspexerunt. Saepius hydatides dextram cordis partem sinistra, praeterea septum ventriculorum inhabitant. Inter quindecim casus novies in dexra, ter in sinistra parte, semel in pericardio et bis occurrunt in loco accuratius minime definito. Etiam ceteris corporis musculis inhaerent. In musculis psois et iliacis Stanley (London medic. Gaz. 1844. Oct. p. 101,) in musculis pectoralibus ancillae Moeller viginti quinque annos natae 1847 in nosocomio nostro observarunt; alia exempla profert Démarquay (Oestreics. medic. Wochenschrift 44 Nr. 29 p. 801.). Cerebrum et medulla spinalis iis corripiuntur, in quibus Rendsdorff (Dissert. Berol. 22) describendis operam navavit. Michéa (Archiv Général de med. T. X. p. 341, 41) in saccis nerebri, in nervo optico eas bis, Keber (Medic. Vereinszeitung. Berl. 41 pag. 361) in quarto viderunt antro. Aran (Archiv. Général etc. T. XII. p. 76) de cystycis in cerebro in-

ventis longius disseruint. Hydatides cerebri, tenuissimis membranis plerumque constructae, saepenumero tantum acephalocystidem matrice circumdatam continere solent. Sacco externo carent omnino. Hydatides in canali spinali non medullae ipsi sed durae matris parieti externo inhaesisse, Boc perhibet. Ossibus rarissime insident; in osse ilium Rokitansky (Handb. der path. Anat. B. II. p. 207,) in tibia Cruveilhier (Meckel's Handb. de path. Anat. B. II. p. 438,), in diploe cranii (Froriep's Notizen 48. S. 9,) eas invenerunt. Livois semel hydatidem aggressam esse partem lentis posteriorem narrat (op. cit. p. 117). Gescheidt echinococcus in oculo inter choroideam et retinam dilitescens non fugit (v. Ammon's Zeitschrif fuer Ophthalmol. B. III. p. 437). Praeterea varios casus memoriae tradidit Budd (op. cit.); Griesinger (Mediz. Vierteljahrss. v. Rose und Wunderlich); Guy's Hospital Raports Nr. V. Octbr. 1837 p. 441.

Mutationes in hydatidum cystis pathologicae, aut decursus et exitus pathologicus.

Supra dictum est, saccum externum acephalocystidum amplitudine aetateque provecta crassiorem fieri. Illarum quoque mutationum, ut his verbis utar, normalium, ut depositionum calcariae phosphoricae et carbonicae in parietibus sacci, quae plerumque in senum tumoribus hydatidosis observantur, iam-

iam fuimus commemores. Sunt insuper aliae hydatidum mutationes, de quibus hic accuratius scripturus sum.

Quamdiu cysta ipsa in sanitate versata est, in partibus sacco adiacentibus nulla inflammationis vestigia inveniuntur. Parenchyma organi normalem structuram, aut tales tantum mutationes, quales manare queant ex compressione unaquaque, praebere solent. Tempere vero quodam praeterito in sacci partibus vicinis inflammatio oriri consuescit adhaesiva. Saccus materia exsudata ac coagulabili, ubi n organi superficie prominet, cum partibus adiaentibus sensim coalescit. Tumorem hydatydum heati adhaerentem, exempli gratia, coalescere cum iaphragmate, parietibus abdominis, intestinis tenuibns lerumque observarunt. Qua de causa fere semper nveteratos hydatydum tumores in organi cuiuslibet uperficie prominentes membŕanis spuriis, ex inflamnatione adhaesiva ortis, cum aliis organis propinuis coniunctos esse, sectiones docent. In sacco tiam interno mutationes efficiuntur inflammatione ariae; nam saccus vasis sanguiferis instructus esse m supra dictus esi. Inflammatione orta aut supuratio, aut ulceratio efficitur. Quo processu parculatim abscessus conformatur a cysta, in qua aut us, aut hidatidum residua pro suppuratione proressa propendent. Exempla eiusmodi referunt ndral, Cruveilhier, Budd. Ubi totus saccus sappurationem transiit sine hydatidum residuis agnosin sane satis perspicimus ex sacci construti-

one, de qua supra locuti sumus. — Porro pariete hydatidibus extenti inflammantur ulceranturque a porforantur, nec non contenta aut in organi paren chyma aut in cavitatem quamlibet, si fieri potest emittuntur. Ita saepe accidit, ut ulceratione hyda tidum hepati adhaerentium saccus hiscat communi cetque cum vesica fellea aut ductu bilifero etc. Qu facto fluidum normale cystae aut intus iam mutatu in vesicam felleam, vel in ductum quemque bilife rum, in parenchyma, venas, vel in cavitatem abdo minis, intestina, vel diaphragmate perforato in pleu ram aut bronchos se aperire constat. Qui exitu maximi est nomenti; nam hac de causa oritur in flammatio, suppuratio, phlebitis saepissime periculo sissima. Simili modo aliorum organorum hydatide inflammatione, uleratione, suppuratione degeneran tur, sed rarissime in hunc gradum mutatae consp ciuntur, quoniam alia organa multo posterius hyd tidibus corripinntur. E renibus per ductus urinife ros prospera rerum sorte eiiciuntur pulmonum aute hydatides bronchis inflammatione exorta perforat per haemoptisin emittuntur. Tales casus in disse tatione in augurali, a Dr. Tyrell Gryphiae 18 conscripta invenies. Hydatides etiam in pleuram h modo penetrare possunt. Praeterea Laennec hy datides (veresimile) pulmonales viam in ventriculu aperientes cum stercoribus solutas esse, semel ob servavit. Inflammatio vero saepe prosperiorem ex hibere eventum potest; nam quum inflammation exsudatum pro nutrimento in vesicas recipiatur, h

datides deletae, sacco externo non rupto in tuberculorum materiem simillimam conformantur. De qua mutatione Rokitansky dicit: „Nach der Exsudation und der Aufnahme des Exsudats durch Eudosmose tritt allmälig Resorption eines Antheils der aus dem ursprünglich serösen Fluidum und aus dem Exsudate bestehenden Inhaltes ein, während ein andrer Antheil des ganzen sich zu einem graulichen, schmierig-fettigen Kalkbreie verdickt und endlich verkreidet; indem der Sack ebenmässig mit der Verminderung seines Inhaltes schrumpft, verödet er endlich in der Art, dass er eine Masse umschliesst, welche aus den in verschiedener Weise über einander geschichteten Residuem der Acephalocysten und jenem Kalkbreie oder Concrementen besteht."

Complures autores, illam ex hydatidum contentis conformatam materiem caseo, ferrumini, emplastro cineraceo similem plus minusve cum acephalocystidum residuis permixtam praecipue calcariam phosphoricam et aliquantulum calcariae carbonicae, nec non paullulum cholestearini, porro materiam albumine compositam, quae animalibus propria sit, continere testantur. Hae hydatidum mutationes paullatim tuberculosae depositionis et concretionis naturae appropinquantes iam diu a multis observantur, ita ut nonnulli omnes depositiones tuberculosas atque concretiones ex hydatidibus solis mutatis oriri contenderent (Ruysch, Dilucid. valv. vas. lymph. Obs. 25. p. 25). Attamen sententia haec falsa. Quam saepe enim tubercula, tam raro hyda-

tides in pulmonibus inveniuntur. Quae res tuber-cula ex commutatis hydatidibus non oriri arguit. — Mohr et Andral horum degenerationum utrumque genus una bis observarunt.

Praeter inflammationem aliae causae pertinent ad commutandas hoc modo hydatides. Forsitan quum parietes vesicarum magis magisque condensantur talis alimentorum penuria effici potest, ut nutrimenta penetrare nequeant atque hydatides moriantur. — Itidem fieri potest, ut vesicae ex nimia content multitudine nimis extentae dirumpantur. Hydatides aut singulis invicem sese prementibus vesicis, aut fluido perverse ratione aliqua mutato, quum forte sal adaugeatur, mori et converti in tuberculosam massam non negatur.

Symptomata.

Symptomata ab aegrotis percepta atque accusata minime differunt ab aliis structuram normalem per-mutantibus tumoribus. Neque in casibus omnibus in aegroti animadversionem vim aequalem exhibent. Nunc desunt omnino, nunc diversissimis combina-tionibus coniuncta in conspectum veniunt. Quae quum ita sint, symptomata ab aegrotis accusata ni-hil valent ad diagnosin conficiendam. Dolor orga-norum hydatidibus laborantium aut omnino deest aut obtusus aut gravior, quem facile intellectu est mu-tari mutato corporis situ, aegrotum vehementius ve-xat. Attamen hic dolor magis percipitur aut cir-

cuitu tumoris praepropere crescente, aut inflammatione et interna et externa tumoris orta, aut mutationibus finitimas partes irritantibus. Quae omnes ad summum fastigium provectae febrem incitare atque aegrotum deterre posse satis elucet. Contra tumore hydatidum ad amplitudinem augendam, inflammationem, mutationes minus inclinante aegrotus dolore aut nequaquam cruciatur aut omnino pressus et gravitatis quodam sensu obtuso conflictatur. Exceptis symptomatibus, quae ab aegroto ipso accusantur, alia a medico sunt respicienda. In universum macies, facies pallida, debilitas diarrhoeae, ascites, anasarca, oedema pedum tum primum in conspectum venire solent, quam hydatidum tumores iterum aut organi functionem deleverint aut corporis vires detriverint, febrem hecticam incitarint. — His paucis verbis praemissis de organorum symptomatibus singulorum mihi est dicendum. Quidem me primum verto ad hepar, quod saepissime hydatidum tumoribus degenerari et, musculis exceptis, possibilitatem diagnoseos faciendae praebere inter omnes constat. Dolor aut deest aut tantum pressus, gravitasque in hipochondrio destro aut reactione universaliore a tumore incitata, dolor gravior in hypochondrio dextro et epigastrio expandens ad humerum sentitur. Hoc quoqne in stadio in systema gastricum et respiratorium mutuo vis adversaria exerceri solet. Sitis, nausea, vomitus creatur dyspnoeaque nec non suffocatio oritur, sensim sensimque febris sustinetur. Hydatidum tumorem contra

abdominis legumenta prominentem saepius palpatione nec non melius percussione circumsiriptum, elasticum, fluctuantem dignoscere possumus. Percussione quaedam vibratio hydatidosa, quasi quis vesicam mercurio vivo repletam digito pulset, primo Piorry francogallice frémissement hydatiqu nominata paene semper sentitur et symptoma pathognomonicum putatur. Alii vero autores vibrationem illam non differre ab ista cystae uniuscuiusque serosae dicentes rationem pathognomonicam negant. Auscultatione sonus fluidi (son humorique) auditur. Volumine tumoris valde sese augente diaphragma in thoracem protenditur, primum dyspnoea tum auffocationes efficiuntur, aut compressa vena portarum vel vena cava ascites et oedema pedum. Icterum quoque eodem modo ortum observarunt.— Hydatides pulmonum, nisi sunt magnae et multae nulla symptomata morbi exsistunt diuque latentes permanere possunt. Interdum iis magnitudine adaucta telas vicinas irritantibus symptomata pneumoniae chronicae, dyspnoeae suffocationes praebentur. Aut inflammatione et suppuratione progressa vehemens atque iterata haemoptisis conflatur et hydatides per bronchos eiiciuntur, id quod hydatides pulmonibus insidere singulare propriumque est argumentum. Sed tamen non semper hydatides bronchiis eiectae originem ducunt ex pulmonibus, verum etiam ex hepate. Quo in casu certa symptomata hepatis aegri icterus, vomitus, intumescentia, alia, quae antecesserunt, plerumque animadvertuntur. Omnem dubi-

tationem eximunt acephalocystides eiectae biliqué immixta tinctae. Praeterea in hepatis regione sonus cavernosi varii audiuntur. Acephalocystides, renes intumescentes, qui in aegroto fortasse palpatione ac percussione cognoscantur, modo reddere possunt. Num vero in intumescentia vibratio pathognomonica hydatidum, qualis in eadem hepatis degeneratione sentiatur, quaeritur. Hydatides renum igitur carent signo pathognomonico nisi per ductum uriniferum simul cum urina emittantur. Quo in casu, hydatidibus, quasi corporibus alienis in ductibus uriniferis aut urethra haerentibus renum regionem doloribus vexari atque ea, quae urina retenta efficiantur, commoveri, facile intelligitur. J. Mueller echinococcos simul cum urina hand dubie a renibus venientes emissos narrat (Muelleri Archiv 1836 Jahresbericht S. CVII.). Hydatidum tumores utero, ovario, ligamento lato inhaerentes vibrationem illam pathognomonicam praebere non solent, quapropter nequaquam differunt ab aliis cystis. Ex his organis hydatides per vaginam eiectae diagnosin certiorem facere possunt.

Aetiologia.

Echinococcos extrinsecus in organismum humanum obscuro incertoque modo pervenire ibique, ut ita dicam, nidificantes vel periculosissimas degenerationes procreare, iam commemoratum est supra. Profecto prae ceteris succos apte mutatos, aetatem vitae rationes consuetudinesque alias causas ad hy-

dalides aggressas organismum, alendas esse neces-sarias, satis elucet. Nam quosdam morbos aut re magnopere favere, ut helminthes capiant incremen-ta, alios autem nequaquam suffragari omnibus no-tum est. Quae sint conditiones, latet. Observatio-nibus collatis uterque sexus pari modo hydatidibu vexantur. Quod ad aetatem attinet, hydatides ant quintum annum et quinquagesimo absoluto in cor-pus humannm non penetrare, statuerunt. Saepissi-me inter vigesimum et quadragesimum aetatis an-num in hominibus observatae sunt hydatides. Colle-ctis duodeviginti casibus, tres ante vigesimum, un-decim inter vigesimum et quadragisimum, quatuor in-ter quadragesimum et quadragesimum quintum aetati annum homines eo morbo, teste Canstatt, labora-runt. Pauperibus morbus hic magis proprius vide-tur. Mirandum est, quod in regionibus tropicis de-generationes hydatidibus effectae vel rarissime au-tore Budd observantur. Item nautae hoc privilegi frui dicuntur. Causis disponentibus ira quoque, icterus irritatio aliquo modo exorta, ut ictus, lapsus; pra-ceteris autem febris intermittens, rheumatismus, sy-philis, dyscrasiarum, ne multa, omnis cohors ad-numerari solent. Sec haec hactenus; quia nil certi

Diagnosis.

Quodsi in omnibus morbis certa diagnosis diffi-cillima est, et saepe instituta sectione prorsus ali inveniuntur, quam vivo homine exspectabantur, i profecto de nostro morbo maxime valet, qui saepis

sime sine gravioribus symptomatibus decurrit. In pertractandis hydatidum symptomatibus paene nullum signum pathognomonicum esse vidimus. Quis est, qui pulmonum, renum ovariorum uteri, splenis, peritonaei hydatides discernat? Primum hydatidibus processu inflammatorio aut per bronchos aut per ductus uriniferos aut per anum eiectis diagnosis certe est statuenda. In hepate ipso, organo faciliorem aditum praebente, si tumor videtur et palpatione sentitur, diagnosis medico difficilis est. Itaque medico est adhibenda circumspectio ac prudentia. Tumore magno, globoso hepati evidenter inhaerente ac propellente abdominis tegumenta nec non sensim sensimque aucto et sine doloribus valde crucianti-bus et sine ictero et sine ascite et sine febre et aliis molestiis, sed percussionis ope hydatidum vibratione plane percepta, nobis quodam iure tumori inesse hydatides, suspicari liceat. Tumor hydatidum hepaticus non fluctuans difficilius est ad dignoscendum ab hypertrophia hepatis, quae tamen nunquam ad tam ingentem magnitudinem globosam sine doloribus intumescit; sed hepar hypertrophicum aut scirrhosum planitiem asperam ac tuberosam praebens cum aliorum organorum degenerationibus coniunctum esse solet. Cum abscessu tumor noster minus confundi potest. Abscessus nunquam sine graviore febre complicatus est. Praeterea abscessui hepatitis praegrediatur, necesse est. Frigora quassantia, nec non alia pyaemiae symptomata sane satis abscessus naturam designant. Circuitus eius

non tam magnus nec tam distincte circumscriptus sensim in parenchyma durum transire videtur. Tegumenta abscessus ipsius apparent oedematosa. Facilior sit error in dignoscenda vesica fellea tumida, quae hydatidibus similior, plana, globosa, nonnunquam irritabilis sentitur. Sed vesica fellea fere semper tantum secretione per ductum choledochum impedita tumida ictero intensivo coniuncta esse solet. Quapropter fluctuatio vesicae extentae subito praeter opinionem in conspectum venit. His exceptis vesica fellea semper e margine inferiore hepatis prominens, piriformis premente manu interdum exinanitur. Integumenta abdominis raro oedemate complicata sunt. Vibratio pathognomonica deest. Facillime cysta serosa cum nostro tumore confunditur quia carens quidem vibratione hydatidum cetera symptomata simulare potest. Aneurysma aortae abdominalis medicum minus diligneter examinantem tantum in errorem inducit. Discrimina huius aneurysmatis et hydatidum tumoris intercedunt haec: Aneurysma plerumque perieti abdominis posteriori insidens post hepar globosum, magnum, sensibile est. Icterus et ascites desunt, digestio et respiratio propemodum nunquam turbantur. Sed anenrysmate subito orto dolor in epigastrio spasticus, constringens, vehemens neque vomitu neque diarrhoea neque ictero complicatus aegrotum cruciat. Commemorandnm est, dolorem ab aegrotis ipsis in aneurysmate nec non in aliis corporis partibus praecipue ad humeros atque extremitates inferiores se porri-

gentem valde accusari. Postremo auscultatione in regione vertebrae dorsalis duòdecimae et lumbalis primae pulsatio et strepitus follis similis (Blasebalggeräusch) auditur, nec non contrectatione manus sentitur. Volumen aneurysmatis celerrime auctum, dolor vehementior, febris concitata, icterus intensivus, si illo vesica fellea, ascites, oedema extremitatum inferiorum, si vena portarum aut vena cava comprimitur, diagnosin fortasse difficiliorem reddunt. Quo facto, error diagnosticus, cui ignoscatur, dignus videtur. Ultimum refugium, ad quod confugiamus oportet, ut naturam hydatidum, quae tumorem extraneum excitarint, cognoscamus, est punctio triquetro subtilissimo peracta. Récamier semper punctione usus est; id quod hydatidibus musculis adhaerentibus sine ullo periculo fieri potest.

Prognosis.

Quin tumores hydatidum multos per annos corpori adhaerentes ab eo nequaquam aegre ferantur, nihil obstat; praesertim quum neque ad inflammationem, ad suppurationem, ad ulcerationem inclinant, neque partes vicinae aut organum, cui insunt, irritatione ulla sensibiles redduntur, neque solemnes vitae functiones necessariae perturbantur. Quo fit, ut nonnunquam inopinato in sectionibus peragendis appareant. At graviora detrimenta perturbationibus localibus, magis etiam universalibus tumore effectis, inferuntur. Quo amplior tumor fit, eo magis aut integumenta abdominis propelluntur aut pulmones com-

primuntur; id quod in periculum aegrotos voca
Tumore enim in pulmonibus celerrime tantae com
moliunculae exsistunt, ut aegrotum suffocaturae vi
deantur, quin etiam glutiendi et respirandi molesti
eum ad mortem subito perducant, qualem casum
Alex. Simon (Schmidt's Jahrbücher der in-
und ausl. Medic. 42. No. 1. p. 40) observavit
Aut aegrotum pneumonia ex irritatione permagn
orta moriturum suspicandum est. Tumor hepati adhaerens ventriculi functionem, digestionem, nutritionem perturbat; ascites, oedema periculum cumulat. In summum tamen adducit discrimen inclinatio hydatidum ad inflammationem, suppurationem, ul ceralionem; nam hoc in casu contenta aut integumentis ruptis extrinsecus, aut in intestinum aut in abdominis cavitatem aut in parenchyma, aut pe pulmones emittuntur. Contentis per integument rupta, per pulmones, per intestinum eiectis contingere potest, ut saccus nondum cartilaginosus et ossificatus concludatur et sanetur. Contentis vero emissis in abdominis cavitatem peritonaeitis vehemen tissima movetur, quo facto de aegroto actum es (Cruveilhier Dict. de Méd. et Chir. prat Art. Aceph. Dr. Kawkins Medic. Chirurgic Transaction. Vol. XVIII. p. 124. a p. 126). Parietibus ulceratione perforatis tumor cum parenchymate communicatus atque suppurationem abscessum pyaemiam efficiens prognosin malam offert. Perforat vesica fellea nec non bili in hepar missa eodem exitu morbus concluditur. Hydatides aut renes o-

mnino degenerant aut semper fere sua sponte in pelvim renalem penetrant, quo facto per ductus uriniferos emittuntur, delentur, interdum sanantur, aut raro penetrant in telas cellulosas peritonaeales vel in cavum abdominis. In prognosi tumorum ovarii atque uteri instituenda similiter sese res habet. Denique maciem, asciten, oedema, febrem hecticam, perturbatam, chymi-et chylificationem aegroti vires deterere et vitam ad finem perducere, satis elucet. Quarum omnium rerum secum deliberanti, quid eventurum sit, ratio habeatur oportet.

Cura.

Hydatidibus valetudinem nondum perturbantibus nullam curam radicalem adhibendam esse, atque omnia, quae eas in malignas formas commutare possint, removenda, una voce autores consentiunt. Medicus gitur aegroto praecepta ad morbum leniendum apta praescribat, necesse videtur. Praeterea curandum est, ut hydatides, quominus crescant, prohibeantur aut deleantur; provideatur tamen, ne aegrotus quid detrimenti capiat. — Iam temporibus antiquioribus (Leske, postea Laennec) chloro natrio talis vis inesse contendebatur. In nonnullis casibus medicamentum hoc vim efficacem exhibuisse narratur. Ad quod remedium adhibendum observationes, oves in pratis salsis pascentes hydatidibus nunquam laborasse, adduxerunt medicos. Nunc quoque, qui illud magni estimant, acri eius solutione tumorem fomentandum

suadent. Qua re efficiatur, ut hydatides salis copia exstinguantur, nondum ad liquidum est perductum. A vero nequaquam abhorret, immodica salis accumulatione animalcula prohiberi, quominus procreentur atque augeantur, nisi forte omnino intereant. Similem vim iodi praeparatis forsitan autoribus Budd et Hawkins suadentibus tribueris. Nec kali iodatum, quod illi autores in usum vocaverant, semper decepisse dicitur. Hawkins, nisi fallor, kal. iod. porrecto non solum amplitudinem tumoris valde imminutum, sed etiam per aliquod tempus ascitem symptomataque sublata esse narrat; aegrotum tamen anno proximo diem obiisse supremum.

Quale munus in futurum hoc medicamentum, diutius quidem sumtum, praestiterit, sitne utile, an non, expperientia decernet. Haec curatio in stadio a Canstatt stationario nominato adhibeatur, ceterum naturae altera medendi ratio relinquatur. Sin autem tumor hydatidum in stadium malignum s. progressivum, in quo inflammatio, aliae molestiae summi periculi plenae conspiciuntur, transiturus est, ad artem chirurgicam confugiatur, necesse est. Tres autem sunt operationis methodi. Autore Récamier summa tumoris protuberantia etiam atque etiam remediis erodatur; primum in regione ad incisionem instituendam destinata cauterisetur, deinde tota crusta cauterio effecta persecetur, ut fundo incisionis iterum remedia caustica imponantur. Cauterisationibus quinque vel sex adhibitis tumorem plerumque aperiri, testatur Récamier. In tumorem exone-

ratum iniectiones primum emollientes, tum purificantes, deinde etiam paullulum excitantes applicari licet. Qui hac methodo usi sunt, multi profecerunt aliquoties. — Bégin, ut in tumore summo incisio 2—4 " longa per cutem, musculos, peritonaeum commode fiat, tum, ut vulneri linteola carpta imponatur, et illud alligetur, suadet. Tribus diebus post cysta cum vulneris marginibus coalita incidi potest. Nec tamen difficile est intellectu, in ratione instituenda, quam Bégin praescripserit, accidere posse, ut aër in abdominis cavitatem facile penetret. Quo facto quum peritonaeitis perniciosa excitari possit, ego semper secundum eam agere dubitem. — Denique Iobert in uno casu prospero eventu usus est, saepenumero triquetro mediocri, spatiis longioribus interpositis, punctione instituta, tubulo per diem in vulnere relicto, hoc consilio, ut, inflammatione adhaesiva excitata, tegumenta abdominis cum sacco arcte coniungerentur et fluidum, quominus in cavum abdominis emitteretur, quam maxime prohiberetur. Tribus ad quinque punctionibus perfectis saccum cum contenti residuo corrugatum esse narrat. Dr. Hawkins metum, ne fluidum in cavum abdominis effundatur, vanum esse existimat, atque praeferendam hanc methodnm illis censet. Brodie triquetro plano, quod tutum et sine tanto periculo sit, medicum uti iubet. Budd autem autore acus accurate excavata, quam Dr. Prichard Bristoliensis ad fluida e pectore aut abdomine removenda invenit, forsitan aptissima est. Quibus

hydatides removendi rationibus omnibus, praesertim in iis, quae in hepate sedem habent, uti convenit. Ovariorum hydatides tali modo tractentur, quali omnes ceteri ovariorum tumores. Cystae in renibus habitantes rarius artis medicae auxilium requirunt, quoniam, ut supra iam demonstravimus, sua sponte in pelvim renalem penetrare solent, quo facto propelluntur eiiciunturque. Si cysta in pelvim penetrante ductus uriniferus hydatidibus obstruatur hoc modo, ut excedant, curandum est, ut abdomen a summo ad imum leviter comprimatur, cucurbitae aridae applicentur, torrens aquae in regionem lumbalem spargatur (Douche), porro sese commoveat aegrotus.

Descriptio casus singularis cystae echinococcos continentis, a me observatae.

Carolina Schultz, annos 29 nata, 20. 11. 51. in nosocomium Gryphisvaldense recepta est, albuminuria et degenerationibus organicis hepatis et ovarii laborans. Omissis symptomatibus, quae in his morbis in conspectum venire solent, est mihi tantum dicendum, tumorem hepati adhaerentem neque palpatione, neque percussione ulla signa hydatidum cystae certa praebuisse. Fluctuatio et vibratio hydatidosa omnino deerat. Tumor contra apparuit durus, asper, tuberosus. Viribas albuminuria et nostro morbo sensim sensimque detritis aegrota 16. 5. 52. diem supremum obiit. Sectio:

Hepatis pars convexa adhaesionibus veteribus, quae multis vasis exstructae sunt, cum abdominis pariete est colligatum. Ea regione, in qua est ligamentum suspensorium, cysta magnitudine pugni, valde extenta, percussione non vibrationem praebens, quae parte anteriore, simili modo adhaesionibus vasis sanguiniferis exstructis, cum pariete abdominis coalita est, superne prorumpit. Totum hepar digitos septem supra marginem costarum falsarum exstat. Ligamentum suspensorium, sicut ea, de qua diximus, vesica media in linea collocata sunt. Omentum partim cum anteriore abdominis pariete, partim cum plano hepetis convexo, cum vesica fellea, cum magna cysta, et cum liene coniunctum, valdeque pingue est atque infra colon transversum circiter novem cystas habet, quae duorum ovorum gallinaceorum magnitudinem singulae adaequant, non tam extensae, plurimae ovales crassis atque albis parietibus exstructae sunt. Laquei cellulosae telae ab omento in harum cystarum peripheriam pergunt; complures cystae eadem constrictione separatae id, quod includunt, inter se communicant. Iam et in parte omenti, quae est inter stomachum ac colon transversum, cysta magnitudine ovi columbae omento inclusa invenitur. Nec non in ea regione, qua omentum a colo transverso ad splenem transit, tumor est magnitudine ovi gallinacei, atque rotundus, qui in lienis parenchyma proiectus est. Dextrum quidem hepatis lobum sublevantibus nobis obviam fit cysta, a media renis parte incipiens, us-

que ad costam quintam porrecta, cum diaphragmate coalita, rotunda, valde extensa atque crassos habens parietes, quae rectum hepatis lobum rectasque thoracis costas valde protendit. Quem atrophiae gradum cysta in parenchymate recti hepatis lobi compressione procreverit, adhuc constitui non potest. Paries cystae inferior tuberosus apparet, contentum non omnino pellucidum. Praeterea margine anteriore processum colli similem formari cognoscimus, in quem colon transversum quasi incumbit, cumque eo est coalitum. Intestina tenuia posita sunt in cavitate abdominis sinistra, ante quae ex dextra parte pelvis tumor prorumpit magnitudine capitis infantis, rotundus, fluctuans, pellucidus, cuius parietes albi permultis vasis sanguiferis atque floccis telae cellulosae ornati sunt; sursum usque ad umbilicum intus ad lineam albam sese extendit. Qui parte anteriore atque inferiore cum vesica colligatus est valde extensa, plures digitos supra symphisin eminenti, cui plures vesicae minores adhaerent. Vesica urinaria ad ipsum perietem posteriorem symphyseos appressa est, ita ut paullulum tantum urinae in ea colligi possit. Uterus in pelvim maiorem lateris dextri sublatus est. Ligamentum ovarii sinistrum supra cystam magnam transscendit; coniunctum est cum canali caeruleo valdeque adstricto, qui in parte cystae exteriore magnum in saccum amplificatur. Parietes huius sacci atque canalis caerulei apparent. Si vaginam inquirimus, orificium uteri prehendere digito non possumus. Vagina tumore

desuper dependente ac fluctuante praeclusa esse videtur. Ovarium dextrum, cui insidet parvula cysta, in fossa iliaca positum est dextra. Tuba non reperitur, quum totus uterus maioribus et minoribus cystis sit circumdatus. Flexura sigmoidea supra magnam cystam ovarii se extendit. Rectum pariete suo anteriore coniunctum est cum magna cysta, quae infra et post uterum iacet. Splen amplificatus, margoque eius anterior sinistro hepatis lobo tectus. Parte convexa lienis nonnullis adhaesionibus cum diaphragmate devincta; capsula bene adstricta vetere tela cellulosa tecta est.—Pulmones parte inferiore cum diaphragmate valde coaliti, itemque cum pleura costali; adhaesiones maximae sunt in parte posteriore. Dextro pulmone abscisso praeter cystam iam supra descriptam cysta alia lobulo Spigelii inhaerens magnitudine pugni in tuberis formam sursum diaphragma propellit; pars pulmonis posterior sanguineo-oedematosa; pars anterior paullum sero satiata, nonnullisque locis cornificata apparet. Simili modo paries posterior pulmonis sinistri coalitus est. Adhaesiones oedematosae, gelatinosae inveniuntur. Pars posterior incisione facta multo sanguine referta; anterior autem oedematosa praebetur.—Pericardium multo adipe tectum, in quo cor positionem horizontalem occupat. Quo aperto ventriculum tantum dextrum atque atrium dextrum, quod valde amplificatum est, videri possunt. Vena cava ascendens diaphragma perforans ante columnam vertebrarum pergit. — Renes ambo morbo Brightii degenerati

sunt. Ureter dexter priusquam in pelvim minorem invadit, crassitudine est caulis pennae anserinae sive ciconiae. Cerebrum sanum.

Aliquo post tempore in cystis apertis atque exploratis acephalocystides et echinococcorum residua cum viro exp. Dr. Pohl, medico instituti clinici chirurgici secundario, invenimus.

VITA.

Ego Alexander Szyman fidei catholicae addictus, Culmae, urbe Borussiae occidentalis anno XXVI. h. s. natus sum patre Joanne, matre Maria e gente Krol, quam adhuc mihi superstitem maxime colo. Primis literarum elementis imbutus gymnasium Culmense, quod directoribus Richter et Łożyński tum florebat, praeterea per biennium gymnasium Cussalinense, quod directore Mueller florebat, frequentavi, ubi maturitatis testimonio acquisito autumno XLVIII. h. s. almam Gryphiam petii, ibique ab Ill. Baum, fasces academicos tum tenente in civium academicorum numerum receptus et ab Ill. Litzmann t. t. Gratiosi medicorum ordinis decano medicinae studiosis adscriptus sum. Per quadriennium hisce virorum Ill. et Cel. interfui lectionibus.

Ill. Stedenroth: de Psychologia, Logica, recentioris philosophiae Historia.

Ill. Tillberg: de Phisice.

Ill. Hünefeld: de Chemia universali, phisicali, organica, anorganica et analytica, de Mineralogia et Geognosia.

Beat. Hornschuch: de Historia naturali universali, de Zoologia, de Botanice: Eundem corpora naturalia musei Zoologici demonstrantem audivi, nec non in Excursionibus botanicis secutus sum.

Cel. Laurer: de Osteologia et Syndesmologia, de operationibus chirurgicis; idem dux mihi per aliquod tempus erat in Clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Schultze: de Anatomia corporis humani, de Neurologia, de Anatomia comparata et pathologica, de Physiologia, deArte cadavera rite secandi.

Cel. Eichstedt: de Morbisorganorum pectoris cum auscultationis et percussionis exercitationibus de Arte fascias rite alligandi, de operationibus obstetriciis, de infantum morbis.

Exp. Haeckermann: de Medicina forensi, de Morbis cerebri; Eiusdem auscultationis et percussionis exercitationibus interfui.

Exp. Glubrecht: de Politia medica, de Chirurgia speciali.

Ill. Haeser: de Pathologia et Therapia, generali de Diagnostice, de Materia medica, de Arte formulas rite concinandi, de Historia medicinae, nec non interfui examinatorio de Pathologia et Therapia ab Eodem instituto.

Ill. Bardeleben: de Fracturis ossium et Luxationibus, de oculorum et aurium Morbis, de Chirurgia et Akiurgia. Idem dux mihi erat in Exercitationibus operationum, chirurgicarum et in Clinico ophthalmiatrico et chirurgico.

Ill. Berndt: de Pathologia et Therapia speciali, de Morbis organorum uropoëticorum et genitalium, de Arte obstetricia, de Morbis psychicis, de Morbis puerperarum; Idem dux mihi erat in Clinico medico et obstetricio.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias quam maximas ago. Singularem vero gratiam debeo viro Ill. Berndt, qui munus medici auxiliarii in nosocomio ad sanandos mente alienatos benigne mihi tradidit, eoque sex per menses fungi licuit. Jam vero tentaminibus quum philosophico tum medico atque examine rigoroso superatis spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina, chirurgia et arte obstetricia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Remedia ulla esse specifica, negatur.

II.

Ceratonyxis scleroticonyxi est praeferanda.

III.

Remedia plurimis in morbis quam simplicissima esse debent.

IV.

Syphilisatio est reiicenda.

V.

In liene neque oriuntur neque intereunt sanguinis globuli.